Kroczowski Hiacynthi: Virtus honorata
Gregorii Krotkowski —

VIRTVS HONORATA

Perillustr: & Admodum Reuerendi D.

D. GREGORII KROLIKOWSKI,

Archidiaconi & Officialis Sandecen. Plebani Dobczycen. Grybou.

Quam

In Aditu eiusdem Archidiaconatus Sandecen.

AD LYRAM POETICAM

HIACINTHVS KROCZOWSKI, Art: & Philosoph: Baccalau.

EXPOSVIT.

CRACOVIÆ,
In Officinâ Valeriani Piątkowski, A. D. 1647.

IN STEMMA.



Non mihi Odorati fæcunda Rosaria Pæsti,
Thuriferasq; Arabum fabula iactet opes,
Gratius in nostris fragrat KROLIKOWIA terris,
Nam trahit & proprio, Numen odore ROSA.

Ioannes Ostrowski,
Stud. Eloquentiæ.

Perillustri et Adm: Rndo Dno,

D. GREGORIO KROLIKOWSKI,

Archidiacono & Officiali Sandecen. Plebano Dobczycen: Grybouien. &c.

Domino & Auunculo longè beneficentiss.

PROCEDENS in Magnos Archidiaconalis honoris apices felicitas Tua, tenuitatem exciuit meam vt indiuiso affectu passuq; euntem ad summa comitarer, eoq́ altitudinis vel calamum inferrem quò totus eniteris. Nec verò id ambitioni imputes meæ, quod è paruis nondum egressus ad tam alta licentiosum egeram pedem; facit enim fortuna Tua vt etiam ardui huius itineris quo per excelsa decurris honorum Cacumina, si non comes pedissequus certe Tuus sim. Fateor quod interdictus minoribus animis sit Magnorum congressus, & vix de longiquo permissa veneratio; abhorrent enim promiscuum commercium illustria, & rara magnitudo multitudinem simul compatitur, quasi subuerente non nihil maiestate, ne dum ad populares patet oculos, hac ipsa vulgi vicinia dum euulgatur euilescat: sed alius scio apud Te mos, qui ita extra communia prominus, vt tamen ad communia nunquam inaccessus pateas, Magnitudineq́ Tuâ etiam in minores influas. Hoc vero proprium summorum bonorum est, vt nunquam sola sint, molemq́ suam non ad vnum aliquod indiuiduum, aut indiuisibile contrahant, sed quasi dimidiata cum pluribus fortuna, excelsa simul extensaq́ sint. Permouit tam insignis comitas Tua, etiam me indignum Nepotem, vt erga Tè de propinquo officiosus esse, ac euolantem in summa Fortunam Tuam, calami saltem obsequio adorare auderem; quo etiam in hoc passu, agnosceres Tuum & sub Tuis alis enutritum pullum; si non degeneres pennas, eò at-

tolles

1212.

tolleret quò Te totum virtus extulit. Nec vero metuo, ne dū temerario calamo per immensum laudum Tuarum elector Oceanum, & genitalibus Ceris Tuis, Palladias hasce applico pennas, ab Illustri dignitatis Tuæ extabescens sole, Icárias orbi reddam ruinas, & quem condigno elogio venerari non possum, merito casu adorare cogar; quia meliorem in meis hisce conatibus præducem habeo Dædalum Te Perill: D. qui teneros hosce calamos meos, iam inde à primo vitæ Tyrocinio, ad summa sed tamen per infima erudijsti. Nullos fateor in his aliquot quas offero paginis cultioris eloquentiæ reperires flores, præter eos quos gentilitia Tua inseuit ROSA; quæ per alios dignitatum subinde, transplantata hortos, & quasi per plures terras genitales circumferens dotes, dum nouissimè ad Sadecensis Archidiaconatus deducitur areolas, etiam me odo reallexit suo, vt eam prosequerer elogio, quam omnes boni suo præuenerunt suffragio. Et certe non incongruum videtur, si dum Regina hæc florum, ad meliorem extollitur culturam, non inuidi tantæ fortunæ Cæteri flores, vectigalem reddant gratulationem, & inter eos promptus etiam se sesistat HYACINTHVS, qui vti sub Tuo cretus fauore, Tuaq; in hanc ætatem effotus beneuolentia, quantulumcunq; hoc impuberis adhuc eloquentiæ, sine Oratorijs quidem, sed cum gentilitijs Tuis & tutelaribus nominis sui floribus dedicat, consecratq; sperans quod sub Tua dehinc munificentia, amittet illas lachrymabiles quas sibi præsens Apollo (vti apud literarum amantes fit) importune alleuit, aut exuet, aut obliterabit literas. DIXI.

Perrillustris et Adm: Rndę Dnationis Tuę

Humillimus Cliens,

Hyacinthus Kroczowski Art: et Phil: Baccal.

P O E M A.

Gratulatorium adepti Honoris.

QVæſitum Virtute decus, multoſq; per auſus
Archidiaconæî conſcenſum culmen honoris,
Incita mens agitat præſago dicere verſu.
Phæbe mihi ſacros adſpira cælitus ignes,
Empyreoq; vagam mentem dignare calore,
Et quanam ratione Sacræ faſtigia ſedis
Attigit, ac meritos KROLIKOWSKI cepit honores,
(Scis etenim) reſera canituro ex ordine vati.
Voſquoq; Pieridum non impigra turba ſororum
Inceptis date vela meis, tenerumq; Poëtam
Pegaſei fontis ſacro luſtrate liquore,
Vt mihi Fatidici repleto Numine Phæbi,
In conſanguineas fas ſit decurrere laudes.
Iam latè Gracium meritis impleuerat Orbem,
Grandæuoſq; annos, per pulchra GREGORIVS acta,
Duxerāt in plures ſemper reſolutior auſus.

Cum Tenor Aeternus FATI non paſſus in vna,'
Mundi parte diu, ſpatioſam hanc degere Mentem,
Tranſdere per varios illam decreuit Honores.
Ergo Concilium ad Fatales Aetheris ædes,
Edicit, Totumq; poli adaccatare ſenatum,
Et litem mandat publicis decidere votis.
Syrmate tum pullo Nox vaſtum texerat orbem,
Atrataſq; manus ſplendori iniecerat omni,
Quando ſoporati inter mæſta ſilentia mundi,
Abruptum longo cælum diſceſsit hiatu,
Et patuêre cauis incognita mænia rimis.
Alta quies Terræ; ſed cæli talibus icti,
Oſtentis, dubio multum errauēre rotatu,
Ac tremefacta nouo ſtellarum Curia viſo.
Pallidiorem habuit vultum; ſtetit ipſe iubato,
Empyreus Lèo, non adeo generoſus in igne
Contraxitq; comas; ſtetit altis hiſpida Flammis,
Serpens, & multo crinitam lumine caudam,
In varios plicuit gyros, Taurumq; ferocem
Parcius incluſam monuit diſpergere lucem.
Cætera Stellarum plebes flammæq; minores,
Vt patuli videre viam per inania cæli,
Ambiguum magno replerunt murmure cælum.
Eſt locus algenti qua ſe ſaturnia tractu
Zona plicat, cinctiſq; ſuperbit baltheus Aſtris.
Gemmeus hic paries fuluo ſuperincubat auro
Gēmeus in liquidū tholus arte rotatur Olympum.
Fuſili-

Fusilibusq; tumet stellis; per limina sparsus,
Abblanditur onyx, & honora luce superbit;
Cætera non viso testudo adcomitur auro
Et cerni se posse negat; non marmora pinnis.
Non Indum albet ebur; plenis stant lubrica gēmis,
Tecta grauantq; suas specioso pondere bases;
Viuit gleba auro; senium quodsi affricet ætas
Parturit alternos fornix antiquus honores
Fitq; suis melior damnis; vix taliter alto
Oppressus pelago, hesternis iuuenescit ab vndis
Phæbus cum lotam producit ab æquore lucem.
Huc ad Condictum venit Fatale superni,
Concilium cæli; medio SAPIENTIA cætu.
Anteiens reliquum subsedit clara senatum,
Inde superiecto BONITAS spectabilis ostro,
Et placidis vittata oleis; cui pone propinquum,
VERVM, ac purpureis renitens CLEMENTIA malis;
Implêrunt grauidas sacrato lumine sellas.
Parte alia VIRTVS, tortoq; accincta tonitru.
IVSTITIA, & leni resoluta MODESTIA vultu,
SPESq; vigil, cælesteq; AMOR pharetratus in igne,
Cæteraq; æternum complérunt agmina cætum.
Postquam facta quies, & nullo tecta tumultu
Pacificos, cepêre Patres; perculsa repenti
Maiestate, suas extinxit curia flammas,
Natiuosq; diu est leuius iaculata nitores.
Ecce Sacro surgens VIRTVS veneranda Senatu

Concuſsit læto crinalia ſextâ reflexû,
Et tales placido formauit pectore voces.
Venimus hûc ſupremi ô Decretoria cæli
Numina; non rigidis vt refrenemus habenis
Vafræ perfidiam terræ, pænaſq; doloſum
Ac dudum meritos caſus ſpargamus in orbem.
Maior cura vocat, quæ noſtris ſidere votis
Vltimaq; à tanto poſcit decreta ſenatu.
Dent alijs quemcunq; volunt ſua Fata tenorem,
Infrenetq; vagum ſors arbitraria mundum,
Nos in diuerſas Krolikovii Gloria curas
Dandaq; tam magnæ diducunt præmia menti.
Huic pridem meus ardet amor; ſeu exit abvndis,
Seu voluit rapidos in aquoſa cubilia currus
Sol, feſſoſq; lauat ſub anhela Thety iugales,
Semper amica mei verſatur imago Gregorii
Aſsiduiſq; mihi tenuat præcordia curis,
Et nunc grandæuos pulchro cum perluit annos
Sudore, ac clarum quærit per egregia Nomen
Geſta, pares tanto capiti decernite Lauros
In meritumq; animũ, meritos transfundite honores.
Dixit, & in toto iam rara ſilentia cælo
Sed dubius primum collecta per atria rumor
Incerto fremuit ſonitu, tum creſcere paſsim
Sybilus & totis cæpit conſurgere tectis.
Iamq; ardet varijs cæleſtis curia votis,
Inq; nouos trahitur ſenſus; tamen omnis in vnum
Cura coit; cuncti paria in decreta laborant

Proq; Krolikowski concordi voce duellant.
Nec bene adhuc dubij cessârant murmura cæli,
Nutabantq; suis Cæli capitolia votis;
Cum splendescenti Sapientia nixa sedili,
Maturos flectit vultus, tacitoq; susurro
Accitam Sacras Pietatem mittit Honoris
Ad sedes; tantæ condigna vt præmia menti
Eroget, & reddat meritos aliquando decores.
Illa celer roseis conuelat brachia pennis
Legatosq; pedes trepidantibus alleuat alis,
Nubilaq; admordet refugum subeuntia peplum.
Transierat canos æterno frigore montes,
Possessumq; gelu grandæui culmen Atlantis,
Et iuga Nimborum vicinis hirta procellis
Cum videt incertas procul increbrescere terras.
Campus erat latè diffusis mobilis vndis,
Parte virens, reliquâ multis gibbosus ab annis.
Hic domus AEterni longè prælustris Honoris
Colle super modico lentum surgebat in orbem,
Non humili gleba, sed fuluo sutilis auro
Et multo circum lapidum prætexta nitore,
Hos fertur quondam puro primæua Metallo,
Natura effinxisse lares, cum poneret imi
Fundamenta soli, ac infantem gigneret orbem.
Ante fores viridis per colles ac iuga campi,
Magnorum rarescebant fragmenta Virorum,
Quos sors excelsis quondam dignita trophæis

Tandem in natiuæ tumulauit puluere terræ.
Hîc & Dentatos & grandia Nomina syllas
Vrna tegit, Magnumq; anima cedente minorem.
Sors eadem pariat cunctos; transibimus illuc
Quotquot flammatis vitam producimus astris;
Nec fæcundatos Regali sanguine Manes
Eximet ille locus; veniet quæ misceat omnes
Hora Duces, Sociosq; liget ad Sceptra ligones;
Omnia puluis erunt & egenæ Nominis vmbræ.
Et iam stellatis euoluerat area pennis,
Decretasq; Sacro pede delibauerat Arces
Nuntia Fatorum PIETAS; tum forte capaces
In Regum genios, meritam transfundere magni
Sceptri versabat molem; raptamq; Parenti
In caput Hæredis mitram transferre Nepotis,
Cum veniens placido Pietas sic institit ore.
O Domitor mundi, cuius sub iure tremiscit
Quidquid signiferi comprensum est limite Cycli
Da faciles misereri aures, vultumq; supina,
Empyreosq; Tuo assensu dignare Triones;
Est Lechici quâ Sacra tument fastigia Craci
Inclyta Sarmaticę KROLIKOWSKI fama Coronę.
Huîc Roseos insperge dies, huîc aurea sæcla
Falcatoq; Patri regnatos instrue menses;
Hoc te supremi moderatrix Curia cæli,
Totusq; Aeterni poscit Conuentus Olympi.
Nondum Legato vox omnis cesserat ore

Cùm festinus Honor solio consurgit eburno,
Cunctatusq; parum, nitido pendentia clauo
ARCHIDIACONAEI, capit indumenta decoris,
Tùm roseos flectens vultus, fluidamq; comanti
Vertice Cæsariem spatiosa sede latentes
Porrigit ad comites, & per propylæa vagantem
Altà voce citat Famam sociumq; Fauorem
Et quos interius secreti habuêre penates.
Primos Rumor agit passus, latèq; refusæ
Syrma trahit chlamydis; simili cui scandit amictu
Fama comes, rutilos per tergum sparsa capillos,
Et geminum præflans iucundo carmine cornu
Vltima Floriferis it Gloria cincta coronis,
Vndiq; strata oculis, & toto corpore ventos,
Irritans pennis, quam circum, longa sequaci
Turba gradu, & cupidi multũ abit vulgus Honoris.
Hos vbi reclusis plantas aduertere portis
Vidit & emotas Honor ocius appetere auras,
Archidiaconæi, tollens insignia Iuris,
Ite ait, ac toto vosmet dispergite mundo,
Cumq; Notata Sacro visetis mænia Craco,
In Krolikowianos, placidi migrate Penates
Emeritamq; animam tanto redimite decore.
Protinus in vastos portis bipatentibus illi
Ocyus excurrunt campos, solitasq; perosi
Pallas, Sidonijs conuelant corpora peplis.
Hîc pars plumatis sursum connititur Euris,

 Nubi-

Nubilaq; alta petit, resupinisq; inuidet astris,
Pars lenes hiat in Zephyros, ac subtereuntem
Seruat humum, gelidosq; extremis passibus agros
Delibans, curuos tremulo facit alite gyros.
Quâq; vagis plaudunt circumfusum æthera pennis
Accliues tiliæ, ac hirsutæ vertice pinus
Inclinant apices, expansa Ceraunia flexo
Latè Lunantur collo, campique reclines
Submittunt humeros, & felix agmen adorant.
At vero stygij pestis Lethæa fluenti
Ac vdus lacrymis mæror, crinitaque sæuis
Impietas hydris, ac ferrea cedit Enio
Ense minax, purumue mali submittit inane.
O nimium dilecte solo cæloq; Gregori
Cûi tam pronus Honor famulas in Tēpora lauros,
Congerit, & meritæ fert Inclyta munera menti;
Pande citos Animi postes, Fatisq; secundis
Accipe longæuæ venientia pignora Laudis
Iam claræ cecinêre tubæ, iam Fama per omnes
Anteiens populos, magnas Tibi prouocat Vrbes
Obuiam, & effusam citat ad Tua Nomina plebem.
Ergo perge citus, quò summi curia cæli
Quo vocat Aeterni felix comitatus Honoris,
Non Tu sepositi per inhospita tesqua Geloni
Aut bifidum Tanaim Geticiq; Borysthenis vndas;
Non per Marmaricos & sæuæ colla Propontis
Extremasq; oras queîs Numen mugit in agris,
Ast in

Ast in prænoti scandes pia Tecta SANDECI
Iam q; Tuo pridem possessum Nomine vulgus.
Hic locus est meritò: Pylios hîc transige canos.
CECINI.

MELOS PLAVSIBILE

Quod

Concinno magis affectus moderamine, quam metri modulamine.

IOANNES OSTROWSKI Stud: Eloquentiæ suo & Fratris sui NICOLAI nomine eidem Patrono, Cecinit.

AVdite magni Sarmatiæ lares,
Audi verendis obsita laureis,
Multisq; sudatas trophæis
Tende Lechis generosa ripas.
Quacunq; pulchræ prodigus Istula
Traludit vndæ; quà Tanais ferox,
Pigrâq; duratus sub Arcto,
Tartaricus trahit Ister vndas:
Altæ resurgant rura Poloniæ,
Collesq; anhelo vertice cernui,

Et quidquid est vbiq; Lechum,
Huc auidas resupinet aures.
Sic Æuiternus disposuit Sator,
Motä verendi mole supercilij;
Sic obsoleti sacra fati,
Non dubio voluëre nutu:
Vt Sandecensis culmina gloriæ,
Altasq; Honorum ferret adoreas
Magnus Krolikowski; & regendo
Subyceret sua colla vulgo,
Vidi reflexo cum populus genu,
Illi modestis adstreperet sonis,
Sacerq; Mystarum Senatus,
Attonitâ daret Io voce.
Tunc & refusis fluctibus hispidæ
Risêre ripæ; saxa GREGORIVM
Et prodigi circumeatus,
Succiduo gemuêre fluctu.
Intonsa latè lustra ter obuias,
Flexêre frondes; ter saturæ niuis
Valles, repercussiq; circum
Plausibus intonuêrę saltus.

I sidus almæ Nobile Lechiæ
Felix GREGORI; quò facilem ſequi
Auara veræ Fama laudis
Et cupidi vocat aura cæli.
Pectus labori cedere neſcium
Obarma in auſus; en decorum lucra
Pulchriq́, ſummus limes æui
Magnanimos citat ire calces.
Quocunq; pulchros, Te genius feret
Præceps in Actus; inclytus omnibus
Noſcere terris, Teq; ſeris
Fama diu recitabit annis.